



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quid & quotuplex est Interdictum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

CAPUT III.

De Interdicto.

Q. I. **Q**uid & quotuplex est Interdictum?

Resp. **I**nterdictum est Censurâ, quâ prohibentur Officiorum divinorum celebratio publica & auditio, quædam Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura.

Dividitur in locale, personale & mixtum. Interdictum locale est, quod directè fertur in locum, prohibendo ne supradicta in eo exercentur. Personale est, quod immediatè fertur in personam; ei prohibendo istorum exercitium & participationem, ubicumque existat. Mixtum est; quod & personam & locum immediatè afficit.

Duo priora subdividuntur in generale & particulare. Interdictum locale generale est illud, quo interdicitur locus aliquis communis, ut regnum, provincia, civitas, &c. Particulare est, quo interdicitur aliquis locus particularis, v. g. una Ecclesia, vel aliqua ex iis, quæ sunt in civitate. Personale generale, est illud, quo interdicitur aliqua hominum communitas, prout constituit unum corpus, ut omnes personæ regni vel civitatis. Particulare est illud, quo interdicitur una persona, vel plures personæ ut particulares.

Est etiam quædam partialis Interdicti species, quâ prohibetur ingressus in Ecclesiam, & si quis in tali interdicto sine pœnitentia moriatur

riatur, non debet in loco sacro sepeliri, c. 20. *de sent. excom. in 6.*

Sed circa hæc Interdicta notanda sunt sequentia.

1. Interdictum in urbem latum afficit etiam suburbia, & ædificia continentia, quamvis sint sub Jurisdictione seu temporali seu spirituali alterius, c. 17. *de sent. excom. in 6.* ne contemnatur interdictum, si populus in suburbiis posset divinis Officiis interesse. Item interdictum alicujus Ecclesiæ ad Cœmeterium & sacella ei contigua extenditur, *ibid.* At interdicto Cœmeterio non interdicatur Ecclesia ei contigua: nam accessorium sequitur principale, non vicissim.

2. Interdictum ab Episcopo in civitatem latum debet etiam ab exemptis servari. Trident. sess. 25. c. 12.

3. Interdicto generali locali non comprehenduntur personæ: unde incolæ civitatis interdictæ possunt interesse Sacro, & Officiis divinis in aliis locis. Et vicissim interdicto personali non comprehenditur locus, nisi exprimat. Hinc interdictis Clericis alicujus Ecclesiæ, non censetur ipsa Ecclesia interdicta, & exteri possunt in ea celebrare. Interdictum tamen locale est etiam personale respectu eorum, qui suâ culpâ fuerunt illius causa, ideoque non possunt etiam extra locum interdictum interesse divinis.

4. Interdicta aliqua communitate interdiciuntur singulæ ejus personæ etiam innocentes,

tes,

tes, sed hi solum quatenus sunt pars communitatis: quare si desinant esse membra illius, desinant esse interdicti: non item nocentes, c. 15. de sent. excom. in 6.

5. Interdicto populo non interdicatur Clerus, nec extranei qui ibi sunt negotiorum causa: & vicissim interdicto Clero non interdicatur populus, ex cap. cit. nec Religiosi, nisi qui ratione Officii Pastoralis censentur esse de corpore Cleri Sæcularis.

6. Ad Interdictum speciale personale requiritur culpa mortalis propria, cum hoc sit gravis poena, utpote privans magnis bonis spiritualibus. Ad locale autem, vel personale generale requiritur peccatum grave contumaciter admissum à capite, vel à præcipuis membris, licet reliqui culpâ vacent, ex eod. cap. quia hæc poena redundat in communitatem quam privat cultu divino publico.

7. Per privilegium absolvendi ab omnibus Censuris non intelligitur potestas tollendi Interdictum locale, aut personale generale; & neutrum potest tolli, nisi ab habente Jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam.

Q. 2. Quot sunt effectus Interdicti?

Resp. Tres sunt. 1. Est prohibitio celebrationis & auditionis divinorum Officiorum, per quæ intelliguntur Missa, Horæ Canonicæ, vel aliæ preces solemniter recitatæ, supplicationes, Benedictiones Nuptiarum, aquæ &c.